



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XXXIV. De Executione Sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

refert ad Pontificem causam quorundam hæreticorum : nec enim patimur, ut quicquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad eisdem (Romani Pontificis) referatur Beatitudinem, cum ea sit Caput omnium Sanctissimorum Dei Sacerdotum &c.

TITULUS XXXIV. DE EXECUTIONE SENTENTIÆ.

§. 465.

Executio Sententiæ **P**RINCIPALIS effectus Sententiæ, est ipse Executio. Univerſim loquendo, omnis Sententia, quæ valida est de jure, & transit in rem judicatam per lapſum definiti temporis, ſi non ſit ſuſpenſa per Appellationem, vel per Reſtitationem in integrum, poteſt & debet Executioni mandari, regulariter ab eodem Judice, qui ſententiam tulit.

§. 466.

pellationibus. ad Rubr. Tituli n. 6. ſeq. item ad c. 68. fol. 456. ſeqq. GONZALEZ ad idem c. 68. SCHILTER. prax. Jur. Rom. Exercit. 1. §. 18. ſeq. Porro de tota materia Appellationum ſingulari volumine pleniffime tractat SIGISMUNDUS SCACCIA.

De Executione Sententiæ. 601

§. 466. Contra personas, quæ in *Nonnun-*
jus vocari non possunt, fieri non po- *quam re-*
test Executio. Contra Clericum non *tardatur.*
fit Executio personalis pro debito ci-
vili, nec contra Professores actu
legentes 90.). Econtra non exspe-
ctato termino, quem Leges ad Ap-
pellandum indulgent, fit Executio,
si per Principem causa fuit commissa
alicui *Appellatione remota*; licet enim
ab istius sententia appelletur, non
tamen per Appellationem retardatur
Executio sententiæ, nisi agatur ad
illius Nullitatem. Is tamen, qui tres
contra se in Petitorio vel Possessorio
sententias reportavit, ad agendum de
Nullitate ipsarum, vel alicujus ex eis,
nullatenus admittitur, donec hujus-
modi sententiæ plenarie fuerint Exe-
cutioni mandatæ 91.). Etiam in Cau-
sis, in quibus ob levem summam non
potest appellari, statim sententia Exe-
cutioni datur.

§. 467. Modus Executionis servan- *Modus*
dus est juxta Leges. Quando igitur *exequen-*
actum fuit Actione personali in causa *di.*
P p 5 debiti

90.) L. 6. C. de Profess. & Medic.

91.) Clem. 1. de Sent. & re judic.

debiti solvendi, statuitur 92.), ut primum Executio fiat in bonis mobilibus; dein in stabilibus; postea in nominibus debitorum; & tandem his deficientibus deveniatur ad capturam personæ. Aliter proceditur in Actione reali; nam tunc si certa res petita fuit, Executio fiet super eadem re petita, si extet. Non facile locus Executioni sit in lecto, vestibus & aliis ad usum necessarium deputatis; neque in jumentis aratoriis & instrumentis ad agriculturam destinatis. Similiter non deberet Executio fieri in fructibus Beneficii Ecclesiastici aut Feudi, in stipendiis militum, aut libris Scholarium, si Beneficiatus, Vasallus, Miles aut Scholaris habet alia bona Executioni aptiora. Si in Executione excedatur modus, implorari potest Judex Superior 93.): Appellatio enim proprie dicta ab Executione non datur: nam licet Executio peti possit Actione in factum, quæ locum faceret Appellationi; tutius tamen petitur per officii Judicis implorationem, de qua summarie cognoscit Judex tanquam

92.) L. 15. §. 2. ff. de re judic.

93.) C. 15. in fin. de Sent. & re judic.

De Executione Sententiæ. 603

quam Executor, a quo appellare non licet 94.). Sunt etiam Exceptiones, quæ in ipsa Executione Sententiæ opponi possunt, ut dictum Tit. XXI. de Exceptionibus.

§. 468. Quoad tempus, Executio peti debet, postquam Sententia transiit in rem iudicatam, regulariter loquendo de jure communi post quatuor menses in actionibus personalibus 95.): potest tamen ex causa hoc tempus arctari vel prorogari, inspecta qualitate personarum, locorum & causarum 96.) veluti si alimenta constituantur, vel minori XXV. annis subveniatur 97.). In reali actione, si res sit præsens, Sententiæ Executio poterit fieri statim, postquam Sententia transiit in rem iudicatam. Quando quis iudicatur incurrisse Excommunicationem latæ sententiæ, manifestari hæc statim potest affixio programmæ, non expectato decennio, & non obstante Appellatione inter-

*Tempus
Execu-
tionis.*

-
- 94.) L. 6. C. de Execut. rei judic. L. 4. pr. ff. de Appellat.
95.) C. 26. de Offic. & potest. Jud. deleg. L. 3. pr. C. de usur. rei jud.
96.) C. 15. de Sent. & re judic.
97.) L. 2. ff. de re judic.

interposita, quia hæc affixio non est Executio, sed promulgatio Executionis, quam ipsa Excommunicatio secum fert.

Processus Executivus §. 469. Sunt certæ causæ, in quibus absque scrupulosa ordinis Judicarii observatione ad executionem proceditur ex documentis libello Actoris adjectis, quæ non requirunt nec admittunt probationem per testes, vel delationem Juramenti, sed habent paratam executionem, per quam Actor, Creditori, vel Domino facultas tribuitur, id quod ex causa legitima sibi debetur, consequendi, vel rem suam recuperandi absque alia probatione. Hic in Judicio procedendi modus dicitur *Processus Executivus*.

In quibus causis locum habet? §. 470. Talis Executio competit etiam de jure communi, vi sententiæ, quæ transivit in rem judicatam: ex statuto autem vel consuetudine multorum locorum competit vi Instrumenti guarentigati, quod firmitatem habet a confessione ipsius debitoris, & attestazione, fide ac legalitate Notarii, cum clausula executiva, quod creditori in eventum non factæ solutionis liceatprehendere, vel sistere debi-

De Executione Sententia. 609

debitorem in persona vel rebus absque alio judiciali Processu vel propria autoritate, vel saltem mediante Judicis officio, ad cujus pacti majorem firmitatem aliquando etiam clausula constituti possessorii & precarii adjungi solet. Datur etiam parata Executio ad debita judicialiter recognita & confessata: ad Literas Cambiales, ubi Jus Cambiale est receptum: ad exhibitum testamentum, non rasum, non abolitum, nec aliud vitium visibile habens: ad Juramentum litis decisivum judiciale. Talia instrumenta debent esse clara, pura, liquida, causam debendi, & nomen Creditoris expresse continentia.

§. 471. Hanc agendi viam non debet assumere Creditor, nisi Exceptiones a Reo sibi opponendas prævidere, & Replicam statim libello inferere possit; alioquin sibi viam præcludet ad ordinarias probationes; cum econtra Reus testibus uti, aut jusjurandum Actori deferre non prohibeatur. Dantur enim Exceptiones, seu allegationes judiciales, Reo ex justa causa competentes adversus Actorem ad executionem vel tollendam, vel

*Et qua
cautela
sit insti-
tuendus?*

mi-

minuendam, vel differendam. Tales contra Executionem ex re iudicata competentem sunt omnes, quæ iudicatum reddunt nullum, aut locum faciunt Restitutioni in integrum. Præterea universim paratam Executionem impediunt Exceptiones, quæ ostendunt, obligationem & actionem, vel nondum esse natam, vel ipso jure extinctam & peremptam; vel quæ ex singulari privilegio personæ competunt. Tales autem Exceptiones, ut paratam Executionem impediunt, debent esse notoriæ, vel in continenti probabiles; nam si altiorem indaginem requirant, mox causa in alium Processum devolvitur, & præsentæ Exceptiones rejiciuntur ad Reconventionem, cui se prævia cautione submittere debet ille, in cujus favorem facta est Executio 98.).

98.) De Processu Executivo Vid. JOAN. BAPT. ASINIUS de Execution. & Process. Execut. MATHIAS COLERUS de Process. Execut. HENR. DE BERGER Electa Process. Execut. VINCENT. CAROCCIUS de Remediis contra præjudiciales sententias, vel damnosas Executiones. RHETIUS Dissert. de Except. paratam Executionem impredientibus. NEPOS A MONTE ALBANO De Exceptionibus Reorum.